



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. De resolutione hujus contractûs ex addictione in diem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

§. 2.

De resolutione hujus contractus ex additione in diem.

1499 **S**upp. 1. ex conditionibus, quae contractibus apponi solent, alias esse suspensivas, alias resolutivas. *Suspensivae* sunt, quae faciunt, ut contractus ante conditionis positionem, vel eventum, non sit absolutus: *resolutivae* sunt, quae, cum existunt, contractum absolutum resolvunt; puta, si sic res distrahatur, ut inempta sit, si displicuerit; nam si post contractum emptionis celebratum displiceat emptio, rescinditur perinde, ac si empta non esset.

Supp. 2. Solas conditiones de futuro, esse suspensivas proprie; hinc si deficiant, actus sub illis celebratus non tamen rescinditur (cum nunquam fuerit absolutus) quam impeditur, ne absolvatur. Contractus sub ejusmodi conditione celebratus, pendente conditione, nullam inducit obligationem, quae nascatur ex contractu *perfecto*; sed, parit solam obligationem expectandi conditionis eventum, quae fundat spem contractus *perficiendi*, & transmittitur ad haeredes, de quibus plura lib. 4. tit. de conditionib. appositis.

Suppon. 3. emere, vel vendere, *cum additione in diem*, nihil aliud esse, quam adjecta conditione resolutiva, sic, ut si intra certum tempus (v.g. intra proximos 8. dies) comparuerit, qui plus offerat, res primo Emptori non sit irrevocabiliter vendita, sed sit inempta; hinc dato tali novo Emptore, & acceptato per venditorem, contractus prior rescinditur; quo praenot.

1500 **Q**uaestio 1. est, quando censeatur existere illa conditio resolutiva ad effectum rescindendi factam emptionem? **R.** 1. eam conditionem (nisi aliquis plus intra tale tempus offerat) non existere, esto alius solum fiste, ac simulate plus offerat; aut se Emptorem dicat, ne fraudibus, eludendi contractum, tam facilis locus detur. 2. nec tunc, si novus emptor non offerat meliorem conditio-

nem. L. 4. ff. §. 5. h. t. 3. nec tunc, si intra diem additionis venditor moritur, nec haeres ejus sit, cui possit fieri melior conditio L. 15. h. t. ff. 4. nec tunc, si primus Emptor velit idem adaequatè dare, quod secundus. arg. L. 7. h. t. ff. Ex hoc colliges, ut venditio, *cum additione in diem*, resolvatur, per oppositum requiri, ut novus Emptor, absque simulatione, meliorem conditionem venditori, vel ejus haeredi, intra praefixum terminum offerat, quam praestare nolit primus. Not. autem 1. venditorem non teneri contractum, cum primo Emptore celebratum, resolvere, licet novus meliorem conditionem offerat, L. 9. h. t. ff. 2. resolveri nihilominus contractum licet secundus Emptor sit inidoneus, v. g. si sit pupillus L. 14. §. 3. ff. h. t. 3. Venditorem non posse secundo Emptori in dato casu vendere sub nova additione in diem, nisi de hoc cum primo conventum sit, per L. 11. ff. h. t.

Quaestio altera est, quos affectus habeat resolutio venditionis *ex additione in diem*? **R.** quod sequentes. 1. quod absque omni traditione rei vendita dominium, & vindicatio redeat ad venditorem per L. 41. ff. de rei vind. 2. quod interim, donec tempus additionis, vel melior conditio veniat, tam dominium, quam periculum interitus, omniaque commoda, & incommoda ad primum Emptorem pertinent, L. 2. & 3. ff. h. t. sed intellige *revocabiliter*. Hinc contractu resoluta, primus Emptor omnia commoda percepta cum rei dominio venditori reddere tenetur per L. 6. ff. h. t. deductis tamen expensis factis per L. 14. ff. eod. quia licet Emptor fructus tunc percepit jure domini, fuit tamen dominium resolutibile.

§. 3.

De resolutione hujus contractus ex lege commissoria.

Lex *commissoria* agit de pacto, contractui venditionis ceteroquin perfecto, & absoluto, voluntate contra-